

Fol. 469. p. 2. Sermo de corpore christi per Episcopum firmatum Johannem, ut Cod. in principio cit. Caro mea vere est cibus &c.

Fol. 476. p. 2. fine inscriptione Sermo, cujus Thema: Domine, ego seruus tuus sum. Ps. CXV. Est Manfredi de Cruce Abb. et Oratoris Philippi Mar. Ducis Mediol. coram Imp. Sigismundo, ut alias relatus et obuius apud Herm. v. d. Hardt T. V. p. 109. et Labb. T. XVI. col. 1307. Ad finem Codicis: Crematus Hus Hereticus sexta Julij Anno Domini M° CCCCXV.

DCCCCXXXVI.

U. 747 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 360. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus frequentia ad Concilium Basileense completitur: I. Opus Reuerendissimi Cardinalis Panormitani (Nicolaï de Tudesco Siculi O. S. B.) de triplici Veritate Sacri Concilij Basilien. Editum et recitatum Francfordie coram Imperij et electorum eiusdem oratoribus quod sic feliciter incipit. Quoniam veritas verborum lenocinio non indiget, ideo quanto verbis simplicioribus proponitur tanto maiori claritate relucet &c. In calce tamen habetur: *Expliciunt ea que dedit in scriptis &c.* Quamvis utrumque facere potuit. Acta sunt haec a Viro in utroque Jure versatissimo et hinc Juris Lucerna dicto an. 1442. Itaque non coram Sigismundo Imp. ut hallucinatus est

Mansius T. IV. Supplem. Concill. col. 1416. qui de Tractatu hoc mire tricatur, Nicolaumque non ad veritatem, sed ad compendium suum pro animi affectu et fortunae aura scripsisse concludit. Triplicem illam Veritatem Autor porro e triplici Quaestione edicit: *Primo. An fuerit et an hodie sit in Civitate Basilien. Concilium generale Ecclesiam universalem legitime representans. Secundo. An ipsi Concilio generali eo posito affuerit facultas et potestas legitima prefatum quondam Eugenium suspendendi et deponendi et per consequens alium in sede apostolica surrogandi. Tertio. An cause propter quas depositus est fuerint iuste sufficientes et rationabiles.* Antequam vero haec pro Concilio et Amedeo seu Felice V. evincere conetur, origines Synodi Basil. inde a Martino V. enarrare instituit. Citat Tractatum Tritheimus in Scriptt. Eccl. n. 781. De Editionibus adi Caveum et Fabricium. Mihi adjacet Lugdunensis char. goth. f. a. 8.

II. fol. 61. p. 2. sequitur Tractatus Vniuersitatis Cracouiensis De auctoritate ecclesie et facultate et veritate Basilien. Concilij. Ad calcem dicitur editus Anno Domini M°. CCCC°. XLI°. Init Autem: *Deliberantibus nobis quid super instanti requisicione karissimorum virorum videlicet Marcij Bonifilij sacre pagine, Stanislai de Sobnyow prepositi Tridentini et Canonici Cracouien. in Artibus liberalibus Magistrorum, Derstaij de Borssynow Decretorum Doctoris*

ris Archidiaconi Cracouien. Et nobilis Bilhelmi de barno Sacrosanctae generalis Synodi Basilien. — Et sanctissimi domini felicitis pape quinti oratorum et nunciorum responsuri sumus, Verbum illud propheticum: Errauerunt ab utero, locuti sunt falsa, imprimis nostre considerationi occurrit &c. Toto Tractatu autoritas Conciliorum gen. supra Pontificem defenditur. Contra Neutralizantes sub finem vertitur illud III. Reg. 18. Usquequo claudicatis in duas partes &c. et illud: Apoc. 3. Utinam es ses calidus aut frigidus &c. additurque: Non recta est quippe intentio neutralitatis viam amplectentium et dicentium: Cui parti alij adhibebunt illam sequimur. Concludunt: Et hec est pater optime sententia et professio veritatis nostra, quam ex diuinis et canonum collegimus scripturis et quam in hac vniuersitate pro fidei sanctae custodia positi et regie maiestatis stipendijs foti sub umbra protectionis vestre quiescentes cunctis qui zelum christiane religionis habent quibusque salus cordi est et potissimum huic inclito regno amplectendam tenendam et profitendam persuademus et predicamus. &c. Nulla mihi Tractatus hujus jam alias hoc Vol. relati nota Editio, neque simile quid apud Mansum facile quaerendum.

III. fol. 97. Gubernaculum Conciliorum. Init directum ad Card. Julianum de Cesarinis Conc. Basl. Praesidem: Ad perpetuam Conciliorum generalium memoriam &c. et autorem habet Andream de E-Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

scohar Ep. Megarens. Potestatis conciliaris in Pontificem propugnatorem, cujus nomen tamen hic non exprimitur. Editum esse ab Hermanno von der Hardt. T. VI. Constant. p. 139. dixi Vol. I. P. 2. col. 1415.

IV. fol. 177. Incipit tractatus Magistri Johannis de Segouia professoris sacre Theologie eximij editus in sacro Basilien. Concilio de ecclesiastica potestate, vel, ut in calce: Tractatus decem auizamentorum ex sacra scriptura de sanctitate ecclesie et generalis concilij auctoritate. Initium est: Apud sapientes in decisione questionum ac disputacionum frequentia nec non per ipsos et alios quoscunque de ecclesia prout est omnium in gratia (magistra?) fidelium sepe mentio fit in communi sermone &c. Calci adiectus est Conspectus Avizamentorum, in quibus plenissime differitur de Ecclesiae Natura, Notis, Potestate, unde ad Conciliorum generalium auctoritatem omni alia superiorem descenditur. Nunquam, quod sciam, lucem vidit eruditus et moderatus hic Tractatus; Locum tamen ex eo carptum habes apud Hermannum von der Hardt in Praef. T. VI. Rer. Concil. Constant. p. 7. qui nobis fol. 255. legitur. An is e Codice, qui testibus Spizelio de Bibliothecar. Arcanis, Aug. Patrio in Summa Concill. Basl. et Florent. et Colomesio in Hisp. orientali in Bibliotheca Basileensi seruatur, aduersus fuerit, an proprio gavisus Hardtius, incertum. Escorialensem, quem citavit Nic. Antonius

tonius in *Bibl. Hisp. Vet.* novus Editor *Fr. Perez Bayerius* T. II. p. 228. se reperisse negat. *Montefalconius* in *Bibl. Mss.* nullum adfert. Autoris nostri *Fata et Scripta* percentent *Ciaconius* in *Vit. Pontiff. et Card. Oldoinus* in *Athen. Rom.* *Fabricius* in *Bibl. med. Lat. Nic. Antonius* cit. qui tamen gentilitio nomine a quibusdam de *Villa Vitiosa* dictum fuisse ignoravit, quamvis in *Decreto 3. Sess. XXXVIII.* solummodo *Archiepiscopus de Villavisoza* nuncupetur. A *Pseudofelice V.* Cardinalem creatum unioni consensisse sub *Nicolao V.* tradit *Aen. Silvius Europae* c. 42. et ex eo, ut videtur, *Job. Nauclerus* in *Chron.* ad an. 1439. Contra *Aug. Patritius* in *Summa* cit. c. 143. in sua pertinacia usque ad extremum vitae permansisse narrat. Atque id fortasse rectius; nam, cum *Nicolaus* plures a *Felice* constitutos Cardinales in hac dignitate confirmaret, *Johannes de Segovia* inter eos non fuit.

V. fol. 259. p. 2. Incipit *Tractatus Eximij Doctoris et timorate conscientie viri Domini Johannis Palomar Auditoris Sacri pallacij Cui negotia Basileen. plene innotuerunt.* Id quidem indubium, si vel ad ea advertas, quae utroque hoc *Volumine* de *Palomario*, seu *Polemario* relata sunt. Praesens *Tractatus* acris est *Eugenii IV.* *Defensio*, quae init: *Non fuit moris mei eciam cum adhuc iuuenis essem allegaciones civiles facere et a lateribus querere ut possem plura capitula nominare,*

sed stricte disputationis aciem ad punctum dirigere questionis &c. Perstringere haec videntur *Nicolaum de Tudescis* dictum *Card. Panormitanum*, qui omnia Citationibus ex *U. J.* infercire solebat. Tribus porro *Conclusionibus* rem suam agit *Nofter*: 1) *Impossibile est generale Concilium sua lege auctoritatem sibi ipsi et potestatem augere, quam ante non habuit, tribuendo.* 2) *Concilium Constant. Senen. et Basilien. non fuerunt maioris auctoritatis et potestatis quam Concilium generale Lateranen. Lugdunen. uel Viennen. quodlibetque hic memoratorum fuit eiusdem auctoritatis et potestatis.* 3) *Ea quae per doctores puta S. Thomam, Petr. de Palude, Augustinum de Ancona. et ceteros anterioris temporis et successive usque ad annum Domini M^o CCCC^o scripta sunt de potestate pape circa generale Concilium et econtra aut nunc sunt vera aut nunquam fuerunt vera. Extrema sunt: Ex praedictis luculenter constat omnes christianos venerari debere Sanctissimum Dominum Eugenium tamquam verum summum pontificem et vicarium ihesu cristi.* *Mendis* non abstulit *Librarius*; ita *Hysnarium Ep. Reynen.* legas pro *Hincmaro Rbemensi.* Interim tamen *Codicem Basileae* scriptum, et celebrato illi, de quo supra in *Job. de Segovia*, *στυχεγονον* habeo. Suspicio *Tractatum nostrum* extare etiam in illo; lego enim in *Catal. Cod. Mss. Bibl. Reg. Paris.* T. III. p. 112. *Cod. MCDXLII.* qui seculo primo nostro e *Basiliensi* descriptus fuit,

fuit, *Magistri Joannis Palomar scriptum contra Basileense concilium*. Verum suspicor tantum; nam parum certi e sicco illo Nomenclatore petas. Interim Titulum hunc etiam transcripsit *Bayorius* in *Notam* suam ad *Biblioth. Hisp. cit.* p. 225. ubi *Scriptorum Palomarii* Syllabum texendo, quod mireris, addit: *Plura forsitan apud Fabricium, Canisium, Tritheimium*. An caruit Bibliothecae Reg. Praefectus his Literatoribus, quibus Literatorum nemo carere potest? An de Populari suo agenti incommodum fuit, eos in manus sumere? Illud addo: *Palomarium* Conclusionibus supra dictis praemittere: *Cum essem in partibus Alemanie iuxta fines Vngarie hec que sequuntur scripsi*. Igitur aut *Viennae*, aut *Brunae*, ubi negotiorum, quae in *Scriptt. Univ. Vien. P. I.* narrantur, caussa an. 1434 — 35. morabatur.

VI. fol. 288. *Ad allegaciones in quadam disputatione per Rev^{mum} in christo patrem . . . Cardinalem S. Sixti adductas quibus Basilienses intencionem suam Contra dominum papam Eugenium fundare nituntur Responiones edite per quendam Magistrum in theologia cuius nomen in fine operis est descriptum subsequuntur*. Ad finem igitur: *Explicit Responsio facta per magistrum Johannem de turrecremata sacri pallacij Apostolici magistrum Anno incarnationis dominice Millesimo quadringentesimo tricesimonono*. Poterat parcere *Librarius aenigmati*; idem enim

est *Cardinalis S. Sixti* et *Joh. de Turrecremata*, neque respondet *Magister Palatii Cardinali*, sed audi ipsummet perorantem: *Responsionem* (ad Adfertum Basileensium, quod Superioritas Concilii gen. supra Papam sit veritas fidei catholicae) *in presencia Beatitudinis sue (Eugenii) et Rev^{morum} patrum Dominorum Cardinalium omniumque fere prelatorum huius sancte Synodi ycumenice (Florentinae) multorumque aliorum patrum et Doctorum satis ex tempore factam nunc parum copiosius et extensus collegi &c.* De bina igitur unius ejusdemque ad *Basileensium* argumenta Responsi editione res est, una tumultuaria, altera secundis curis revisa, dum interea *Palatii Magister Cardinalitium* adipisceretur. Initium illius est: *Notastis teneo superiori die pro vestra sapientia et humanitate &c.* Duo inde Exempla profert *Nic Antonius Bibl. cit. P. II. p. 291.* et ex eo *Quetifus* in *Scriptt. O. Praed. T. I. p. 842.* in *Codd. Vatic.* reposita et *avendores*. Atque apud hos Autores etiam plena de insignis Viri hujus, qui *Romae* a. 1468. extremum habuit, *Fatis* et *Scriptis* subficitur notitia. Illud monendum, *Johannem de Turrecremata* seu *Torquemada* non debere confundi cum *Thoma* hujus *Nepote* et pariter *Ord. Praed.* qui *Inquisitionis* Osoribus familiare Thema est.

VII. fol. 327. Incipiunt decurrere *Sessiones Concilii Basileensis* a II. ad XLIII. additurque ad calcem

Conspectus omnium Tractatum in hoc praeclaro Codice contentorum.

DCCCCXXXVII.

U. 210 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 397. 4. e variis Scriptis praecipue ad Concilium Basileense pertinentibus confarcinatus legatus est olim ad Librariam Collegij Ducalis wien. a M. Paulo de Mellico T. D. et ad S. Stephani Decano. Insunt autem ei sequentia, quae ad Labbei, Mansiique Collectiones exigam. Fol. 1. Oratio Johannis Archiep. Tarentini unius e IV. Oratoribus Eugenii Papae ad PP. Basileenses, quae incipit: *Humanissimam et sanctissimam domini nostri* &c. et habetur apud Labb. edit. Venet. T. XVII. col. 676. Notarii Jacobi Adferricij Subscriptio hic abrupta, in Codice legitur integra.

Fol. 12. Oratio alia, quae incipit: *Maximam mihi dicendi fiduciam praestat* &c. Legitur apud Labb. cit. col. 663. et est Andreae de Petra Archiep. non Colossensis, nec quarti Ambasiatoris Papae, ut est in titulo apud Labb. sed Coloczensis in Hungaria et secundi a Tarentino Oratoris, de quo pauca admodum. Michael a S. Trinit. in Natalib. Archiepiscopatus Coloc. Budae 1746. p. 83. 4. Pertinent utraque ad a. 1432.

Fol. 24. Responsum Synodale ad has Orationes, quod habes apud Labb. col. 448. hoc initio: *Cogitanti huic sacro generali Con-*

cilio &c. In inserto Cardinalium testimonio abest a Codice A. Card. Senensis, ab Impressis vero A. Card. Aquilegiensis, T. Card. Tricaricensis et G. Card. S. Marci.

Fol. 44. p. 2. *De modo procedendi in Concilio Articuli subscripti per XII. ad hoc deputatos concordati sunt. Ineunt: Primo sint quatuor deputationes* &c. Ut Labb. col. 577. Pertinent ad an. 1430.

Fol. 48. Fragmenta ex Sessione I. Conc. Basil. primum §§. XIX — XXI. ut extant Labb. cit. col. 234. initio: *Porro quia nonnunquam lingua subdola* &c. dein §§. VIII, XI, XII. ut. col. 225. initio: *Cum vero finis instaret septennij* &c.

Fol. 50. Bulla dissolutionis Concilij Basiliensis. Nempe Eugenii IV. quae incipit: *Quoniam alto et incomprehensibili domino* &c. ut Labb. cit. col. 733.

Fol. 52. p. 2. *Secuntur aliqua decreta Concilij Basiliensis generalis successive facta et habita Anno* &c. 32. XV. februarij. Sunt Sessionis II. ut Labb. col. 236.

Fol. 53. p. 2. *Citationis forma ad Dominum papam et Cardinales, et est tertia sessio Concilij Basiliensis. Ut Labb. col. 238. Sed juvat semel monere, non raro variari elocutionem, et propria Nomina ab Editoribus Gallis et Italis saepe mire corrupta esse.*

Fol. 57. Epistola data Basilea in profesto visitationis virginis gloriose 1432. Manifeste ad Vniversitatem Vien. a Thoma Haselbachio,